

Universitätsbibliothek Mannheim

**Leonardi Aretini Dialogus de moribus ad Galeotum
amicum**

Bruni, Leonardo

Parisiis, 1544

urn:nbn:de:bsz:180-digad-9799

Leonardi Aretini Dia-

LOGVS DE MORIBVS AD GALEO-
tum amicum: dialogo paruorum moralium Aristote-
lis ad Eudemium amicum suum respondens: pau-
cis ex posterioribus à Leonardo adiectis.

L. Leonardus, M. Marcellinus, interlocutores.

SI VT VIVENDI, GALEOTE, SIC
etiam bene viuendi cura nobis esset: infinitos penè
labores (quibus stultitia astat humana) tanquam
superfluos & insanos, fugiendos, omittendosque longe puta-
remus. Nunc autem omnis noster error ab eo manat, quòd si-
ne proposito sine viuimus, & velut in tenebris cæcutientes,
non tam per callem aliquem prospectum & certum, quàm per
oblatam nobis semitam fortuito ambulamus: vt saepe quòd no-
stri ferant gressus, ne ipsi quidem sciamus edicere. Itaque &
conatus saepe nos pœnitent nostri, & sequentes pariter, asse-
quentique torquemur: nihil solidum nanciscentes, in quo stulta
hominum appetitio conquiescat. Est enim veri boni à natura
nobis ingenerata cupido. Verum confusa illa quidem atque
incerta, fallacibusque opinionibus tanquam tenebris quibus-
dam obducta: quibus obcæcati, atque decepti, per deuia aber-
ramus. Sed aduersus hæc humani generis cecitatem & tene-
bras, opem à philosophia petendum est. quæ si fortè nos di-
gnata, lumen suum admouerit: hæc omnem (quæ nos turbat)
caliginem dissipabit, veramque viuendi viam à fallaci discer-
net. Equidè memini primis ab annis studiosum te philosophiæ
a

PARVA

fuisse: verum illius quæ ad naturæ pertinet indagatiõem, quæ
 et si sublimis est atq; excellens: tamẽ minus habet vtilitatis ad
 vitã, quàm ista, quæ ad mores hominum, virtutesq; descendit.
 Nisi fortè instructior erit ad benè viuendum, qui pruina, &
 niues, & iridis colores, quemadmodum fiant didicerit, nihil
 amplius vtilitatis habet, quàm si illa nunquam didicisset: aut
 emendatior erit eius vita, cui aues & pisces noti sunt, quàm
 si omnino essent incogniti. Similia his sunt cætera, quæ in illa
 traduntur. Habent enim splendorem cognitionis eximiũ: vi-
 tæ autem vtilitatem non habent. At verò hæc altera philoso-
 phia, tota (vt ita dixerim) de re nostra est. Itaque qui huius
 cognitione omissa, philosophiæ intendunt, ij alienum quodã-
 modo negotium agere viderentur, suum omittere. Ego igitur,
 Galcote, vehementer quidem te ad hæc studia reuoco. Quid
 enim pulchrius nobili viro, & virtutum ab ipsa natura ama-
 tori, & intelligentia rationeque præstanti: quàm ea discere
 per quæ ad casum viuere desistat, suas ipse vias actusq; dis-
 cernat? Sed vtrum ista cohortatione contenti, non vltra scri-
 bemus, vel quasi persuaso iam tibi addemus aliquid, introdu-
 ctionis causa? hoc ego potius esse reor. Neque enim inuitan-
 tis est tepidè agere, sed rem ipsam ad quam inuitat, vtrò of-
 ferre. Referam igitur tibi sermonem habitum à me nuper, cũ
 Marcellino familiari meo. Nam cũ ille domum ad me salu-
 tandi gratia venisset, reperissetque forte lectitantẽ, post pri-
 ma illa amicorum consueta, cum vtrique consedisset, & quid
 hoc libri est, inquit, quod modo erat in manibus? M. Aristot-
 telis (inquam) liber est de moribus ad Eudemium. Tria sunt
 enim (vt audiuisse te credo) huius philosophi volumina de mo-
 ribus scripta. Vnum, ad hunc quem modo dixi. Alterum, ad

cottus.

cellii.

temius
 ia Arist.
 moribus
 ra. pri-
 in, parũ

Nicomachum filium. Tertium, quod inscribitur magnorum
 moralium. Et si omnium eadem vis est, tamen alibi enodatius,
 alibi remissiùs res ipsæ tractantur. M. Rectè (inquit) et-
 enim opportunè facta à te huiusce rei mentio est. Aueo enim
 iam pridem qui sit huius disciplinae progressus, & quasi viam
 cognoscere. Nec antehac data mihi facultas est, à te de hoc
 ipso, arbitrato meo percunctandi. Nunc verò quia (vt video)
 otiosus es, ostende quaeso, hæc de moribus disciplina quid no-
 bis pollicetur. L. Quid me rogas? inquam, ac potius ipse
 tu, vel nostrorū, vel Græcorum, à quibus ista traduntur, scri-
 pta lectitas? M. Græcè, inquit, nescio. Latina verò ista
 nostratia (vt tibi verum fatear) legentem me, conantemq; nō
 admodum iuuant. Coniecto enim esse talia, vt institutum po-
 tius erudire, quàm rudem instituere ab initio possint. Tu qui
 græco de fonte (vt ait Flaccus) hausisti, quaeso mihi expone,
 hæc de moribus disciplina quid eius sectatoribus repromit-
 tat. L. Non munusculum (inquam) neque lucellum, sed rē
 maximam, præstantissimamque omnium, beatos facere homi-
 nes, modo sibiipsis non desint, sed agendo & operando, illius
 præcepta iussa que sequantur. M. Et quis non excitetur
 (inquit) tanta spe proposita? Ardeo, me hercule, iam nunc il-
 lius initiari sacris: quare agedum, ede quid præcipit. L. Ogem
 (inquam) id quidem, & insigne est: caput tamen ac summa o-
 mniū vt bene viuas. Id verò non de mensa, sed de mente sumi-
 tur. Sed quoniam te id cupere animaduerto, & adiuari di-
 gna est hæc cupiditas tua, conamur tibi tale aliquid tradere,
 quale Græci εἰσαγωγὴν appellant, id est, quasi introductio-
 nem, ad euidentiā quandam huius disciplinae, quò paratior
 ad illam percipiendam queas accedere, ac dicere quidem iam

opus ad
 demiū. se
 dū opus,
 gnorū m
 liū. tertiu
 pus, Ethi
 rum.

PARVA

ordiar. Tu verò si quid inter dicendum ambigis, interpella.

Rima igitur huius disciplinae consideratio mihi videri solet, an quid sit extremum, & finis in rebus humanis, ad quem omnia quae agimus, referri oporteat. Secunda, quid sit id extremum. Tertia, quibus rebus ad id perueniatur. His enim cognitis, & totius vitae rationem (quemadmodum dirigenda sit) cognoscemus. Quae enim ad actionum nostrarum verum finem referuntur, eas & frugi & laudabiles dicimus: quae verò fallaci opinione aberreant, eas vituperamus atque propellimus. Vt autem de his iam dicere incipiam, conspicuum est, plures in rebus fines esse humanis, aliosque sub alijs contineri. finem autem appello, cuius gratia quid agimus. Exemplo quoque hoc ipsum faciamus illustrius. Parat quis nauem nauigandi causa: nauigat autem quò pecunias acquirat: acquirere autem vult quò opulentiore fiat: hanc ipsam opulentiã alterius gratia cupit, vel honoris, vel potentiae, vel vt nullius indigeat. Hic igitur vides tot esse fines quot sunt actus, aliosque subesse alijs. idem est in ceteris operationibus nostris. Semper enim nostra de fine in finem graditur quidem, proceditque intentio, nec est dubium quin superior semper finis pretiosior sit, cum illius gratia inferiores appetantur. Illud praeterea constat, nos omnia quae agimus, boni gratia agere. ex quo fit, vt idem sit finis & bonum. Sed an cuncta alterius gratia volumus, & necubi consistit appetitio nostra? an est aliquis extremus & vltimus finis, ad quem cum tandem peruentum fuerit, appetitio conquiescit? Fatendum est esse aliquem, ne si forte negemus irrita & stulta probetur cupiditas nostra, & in infinitum progressio, & multa perabsurda exinde sequantur. Id

ergo extremum, si modo est aliquod (quod esse plane confitendum est) necesse est esse tale, nulla ut externa illecebra, sed ipsum per se sua vi nos incendat, & rapiat in cupiditate sui, quod propter se expetatur semper, & nunquam propter aliud ad quod referatur omnia, ipsum autem nusquam. Erit igitur hoc, summus finis & summum bonum. nam finem & bonum, idem esse docuimus. Erit quoque idem, principium & causa. inde si quidem motus est, cum eius gratia, omnia omnes agant.

M. Intelligere mihi videor (inquit) ac prope tenere: quare ad alia (si tibi videtur) progrediare. L. Age nunc (inquā) hic quid sit extremus finis videamus. hoc enim, secundo erat loco in quaestione propositū. M. De nomine quidem (inquit Aristoteles) apud omnes conuenit. felicitatem enim vulgus, eruditique appellant. Sed ipsa felicitas quid tandem sit: de eo sane inter se discrepant, nec idem vulgus, sapientesque tradiderunt. at enim ne sapientes quidem. Nulla enim unquam de re fuit inter philosophos tanta contentio. nam alij voluptatem esse id extremum & ultimū quod propter se ipsum expetitur, & cuius gratia cetera agimus, asseuerant. Esse quidem id insitum mentibus nostris: ut omnia faciamus atque patiamur, quo postea in gaudio & letitia, contenti & quieti vivere possimus. Ea est autem summa, & mera voluptas. Ex quo fit ut principia vel appetendi aliquid, vel fugiendi, à voluptate, dolorēque proficisci videantur. quare & ipsas quidem virtutes censent ideo ab hominibus exerceri debere, quia effectrices sint plurimarum voluptatum. contraque, cum delictorum, scelerumque conscientia nos vexet & angat, tum inanes cupiditates (quarum stultorum vita referta est omnis) sollicitent mentes, & quietas esse nequaquam permittant. Itaque eum esse

PARVA

sapientis delectum aiunt, vt prætermittendis minoribus, sibi
 maiores comparet voluptates, & doloribus paruis suscipien-
 dis, maiores grauiorésque repellat. In hac ferè sententia Eu-
 doxus, & Aristippus, & Epicurus fuerunt: etsi eorum alius
 plus, alius minus tribuerit corporeis voluptatibus. His adij-
 ciendus est Democritus, qui obscure quidē & verbo penè in-
 solenti ^{ἐὐθυμία} summum bonum esse dixit, quasi tranquillitatem
 quandam animi, omni molestia vacantis. Alij verò in
 vsu virtutis felicitatem posuere, atque ex eo beatam constare
 vitam censerunt. Esse enim quoddam proprium hominis opus, ad
 quod agendum natus sit: id autem non esse viuere, quia com-
 mune sit etiam plantis: non sensum habere, quia commune sit
 & brutis: sed vitam, & actus secundum rationem, qua qui be-
 nè excellentérque vtetur, id proprium opus ad quod agendū
 natus sit, benè absoluat. Eūque bene viuere ac bene agere,
 in eoque sitū esse summum illud hominis (quod querimus) bo-
 nū. In hac fermè opinione Aristoteles, & Theophrastus, &
 ceteri omnes Peripatetici fuerunt. Sed cūm quæreretur, nun-
 quid foret hæc vita in potestate sapientis, id est, an sibi ipsi p
 virtutem hanc præstare vitā bonus vir possit, multæ difficul-
 tates suboriri videantur. Fieri enim potest, vt sapiēs & bonus
 vir, & omnibus virtutibus instructus atque ornatus, in exiliū, in
 orbitatē, in egestatē detrudatur, amissa patria, ablato patri-
 monio, filijs, propinquisque necatis. Præterea vt in carcerē ty-
 rāni, vt in equuleū, vt in supplicia grauiora, & miserāda inci-
 dat. Hūc igitur quāquā virtutibus abundantē: tamē beatū di-
 cere tantis in malis quis potest? quod si ita est, nec virtus ipsa
 satis videtur ad beatē viuendū. Ob hæc, ij de quibus loquor
 Philosophi, tria bonorū genera distinxerunt, animi, corporis,

dox^o, Ari-
 stippus. Epi-
 curus. Demo-
 critus.

Aristote-
 le. Theoph-
 raste.

externa. Felicitatem in bonis animi reponunt, quæ sunt maxima ac præcipua bona. Corporis autem, & externa adesse homini oportere aiunt, non ut illa ex sese beatam conficiant vitam: sed ne operationes virtutis in quibus beata vita cõsistit, impediatur. Etenim supplicijs doloribusq; affectum corpus, neq; contemplari quicquam, nec agere permittit, & egestas, exiliũmq; impediunt multa, cum tanquã illis instrumenta desint ad agendum. Quid ergo, miser erit sapiens in ijs quæ supra enumerauimus malis? Certè nõ miser. Habitus enim virtutis illum ab hac infami appellatione defendit: sed nec etiam beatum tantis in calamitatibus nuncupabo. Beata enim vita omnis optabilis est, & plena gaudiorum: hæc verò calamitosa, nequaquam optabilis: nec beata igitur. Hæc peripateticorum fermè est summo de bono vitæque beata, sententiã. Nec est dubium quin (erisi parum) tamen aliquid fortunæ tribuatur. Itaque Zeno, quique à Zenone sunt Stoici, rigidi nempe homines & seueri, aliter de summo bono opinati sunt. Negant enim quicquam bonum esse præter honestum, in eoque vitam beatam consistere affirmant. Honestum autem est, quod benè, & laudabiliter, & ex virtute fit. Ut enim quod timidè, quod libidinosè, quod abiectè agitur, turpe dicitur, ac dedecoris plenum: sic quod fortiter, quod continenter, & quod ex dignitate agitur, honestum, decorum, pulchrum nuncupamus. Corporis autem & fortunæ commoda negant esse bona, contraque illorum incommoda negant esse mala. Virtutem verò satis esse ad beatè viuendum putant, neque carcere, neq; tormentis, neque doloribus vllis, aut egestate, exiliove, beatã vitam impediri. Virum enim sapientem, ac verè fortem, magno inuictoque animo, totũ ex seipso pendere, nec humanos casus,

Zeno:
Stoici.

PARVA

neq; fortunæ minas expauescere, nec illis (si accidant) unquam frangi: non enim exilium, nec paupertatem, nec dolores, mala esse sapienti. Quoniam ut nihil bonum præter id quod honestum, & cum virtute: sic etiam nihil malum, nisi quod turpiter & cum vitio fit, quod in sapientem nequaquam cadere potest. Quòd si fortunam metuat quis, nunquam erit beatus, cum etsi non facta, attamen facienda formido illius mutabilitatis sollicitum reddat. Hæc fermè est (ni fallor) Stoicæ disciplinæ forma, nescio an vera, sed certè mascula atq; robusta. Percurri tibi sententias omnes de summo bono, quæ quidem cognitæ dignæ videbantur, de quibus scire velim quid tandem existimes. M. Ego ne (inquit) fatebor tibi quid mihi acciderit? Singulis (dum à te referebantur) memè totum addixi. Nam voluptate & vacuitate doloris, quæ prima fuit sententia, nihil optabilius visum est. Quid enim beatius aut esse, aut excogitari possit, quàm vita gaudiorum plena, omni molestia detracta? aut quid deorum immortalium vitæ similius imaginari possimus? qui cum sint verè felices atque beati, hoc beatitudinis instar nobis mortalibus reliquisse videntur. Rursus verò cum ad virtutis splendorem oculos erexi: victus excellentiæ laude, usque adeò cõtèmpsi equidem ac posthabui voluptatem, ut etiam doloribus, & molestijs comparandam eam beatitudinem existimarem: corporis verò commoda, externamque rerum prosperitatem, quasi necessariam in bonis reponerem. Ecce alteri exurgentes negant quicquam tale in bonis habendum: dantq; homini potestatem seipsum per se in beatitudinem asserendi, quo quid optabilius esse potest? ita cum omnes ad se rapiant, ambiguus sum quid maximè putem recipiendum. L. Non est mirum (inquam) si tibi horum singuli probantur. nam vul-

gus quidem philosophorum qui absurda dicebant, iam pridē
 auditores, scholæque ipsæ respuerunt. hæc restant disciplina,
 quæ aliquid dicere videantur: quæ etsi verbis pugnent, re ta-
 men & affectu quàm proximæ sunt. M. Quo modo pro-
 ximæ, inquit? An potest quicquam esse distantius? L. At-
 tende, inquam, an tibi proximitatem hanc satis probare vi-
 deor. Primum enim Stoicos à Peripateticis quid differre pu-
 tas? Vtrique profecto beatæ vitæ dominam, effectricemque
 virtutem consentiunt. In hoc ferè totum est. & qui in vno hoc
 consentiunt, vix in alijs dissentire possunt. Nam de corpo-
 reis, externisque commodis, quæ alij bona appellant, alij non
 bona, id non refert quantum quisque illis tribuerit: si nõ plus
 his quàm illis, de verbo differentia est, non autem de re. quod
 alteros vsitatum verbum delectat, alteros nouum. quæ enim
 hi bona & mala, illi præposita & reiecta appellant. De for-
 tunæ verò doloribus, tormentisque corporis diuersitas est:
 & quidem non magna. Peripatetici enim non à quibusuis ca-
 lamitatibus vitam beatam depelli putant: sed ab ingentibus,
 & multis. & hæc ipsa si accidant sapienti, nequaquam eum
 miserum fieri dicunt. Stoici verò, etiam in his ipsis calami-
 tatibus beatum asserunt. Vides ergo quàm parum intersit in-
 ter hos duarum sectarum magistros? Quinetiam volupta-
 tis patroni, non multum ab his discedunt. Felicitas enim abs-
 que voluptate esse non potest. aded enim implicita est illi an-
 nexa voluptas, vt separari nequeat. Nomen certè ipsum quo
 beatitas designatur, à gaudento apud Græcos tractum est,
 quasi vita quædam gaudiosa. Actio enim virtutis, scientiâ-
 que, & cotemplatio, conscientia denique ipsa rectè facto-
 rum, immensas quasdam voluptates continet: vt dubium fiat,

PARVA

hæc propter illam, an illa propter hæc expetatur. Clamat enim Epicurus ipse, non posse cum voluptate viui nisi iuste, temperate, prudenterque viuatur: neque rursus iuste, prudenter, temperate, nisi cum voluptate. Ita cum tres sint philosophorum sectæ: omnes profectò aut idem, aut propè de summo quidem bono dicere videntur. Quare non multum tibi formidandum est, vt dum alteros sectaris, ab alteris contingat te abscedere longius. M. Perquam gratum mihi est (inquit) hanc (vt ita dixerim) conciliationem philosophorum audiuisse. nec placuit modo tua de hisce rebus disputatio: verù etiam placauit inquietam mentem, cuiam potissimùm inhaereret hæsitantem. Sed restat iam tibi tertia illa pars (cum sitne finis aliquis extremus, & summus, & quis sit conspexerimus) vt nunc quibus rebus ad illud veniatur ostendas. L. Tute (inquam) ipse viam nõ ex superioribus dictis iam hinc discernis? M. Discerno, inquit. virtutes enim beatæ vitæ dominas, effectricésque consentio: sed tamen de his ipsis audire percipio. L. Audi igitur (inquam) etsi non ad viuum refecare propositum est: sed quantum ad euidenciam nunc sat erit, breui discursu pertingere. M. Hoc ipsum (inquit) nunc postulo, de singulis verò si ambigam, aliàs. L. Cum igitur per virtutes ad beatam vitam perueniatur (ab his enim honestas, voluptasque vera existit) de virtutibus ipsis dicere aggrediar. atque illud primùm à nobis intelligendum est, virtutem omnem esse animi affectionem constantem, quam cõmuni nomine habitum vocant: ut enim equum sic à natura generatum uidemus, ut & currere & in gyrum flecti, & portare equitem possit: hæc tamen ipsa non perfecte agit, nisi cum dormitus & exercitatus est, ita assuefactus, ut illa bene, & sciẽ-

ter agat: tunc enim perfectum quoddam habere uidetur: sic
 & homo à natura aptus, per exercitationem & assuetudi-
 nem, habitum iustitiæ, & temperantiæ, caterarumque virtu-
 tum nanciscitur: vt tunc demum perfectum ab vsu sit, quod à
 natura fuerat inchoatum. Et de virtute quidem omni in hunc
 ferè modum accipiendum est, habitum scilicet esse animi, ex-
 ercitantione, vsuque acquisitum, vt iam peritè & scienter o-
 pus suum perficiat. Virtutū verò ipsarum prima partitio est, Virtus.
 vt aliæ sint moris, aliæ intellectus. Conueniunt verò in eo quod
 sunt habitus. differunt enim, quia morales fiunt in ea parte
 animi quæ non habet rationem: intellectiua autem in ea par-
 te quæ rationē habet. Præterea morales virtutes mediocri-
 tates quædam sunt inter excessum & defectum: intellectiua
 autem excessum non habent, nec sunt mediocritates. Insuper
 morales circa affectus & actus: intellectiua autem circa ve-
 ri deprehensionem magis versantur. Sunt verò intellectiua
 virtutes quinque, Sapientia, Scientia, Prudentia, Intelligen-
 tia, & Ars. Moraliū autem maior est numerus. Vt enim af-
 fectus sunt humani, qui nos inflectunt & ducunt: ita virtutes
 aduersus hos oppositæ resistunt. Ex quo fit, vt morales quidē
 virtutes omnes circa difficile arduūque versentur. diffici-
 le est enim libidines quasi freno compescere. difficile est ira-
 cundiam tenere. difficile auaritiā coercere. idem est de alijs
 affectionibus nostris. Ad quæ enim promi natura sumus, ad-
 uersus illa virtutes opponuntur. Nil agas timidè, dicit virtus,
 nil intemperanter, nil auarè, nil iracundè, nil iniquè, nil abie-
 ctè: grande potius quoddam tibi propositum sit: & si asint
 facultates, magnificentia splendeat. Honores verò ita prose-
 quare, vt declines ambitionem: veritas & in omni sermone &

A PARVAM

itudo
 in omni vita eluceat. Præterea caue, ne te virtutis specie de-
 cipiatur vitium. Inconsulta audacia, fortitudo nõ est, sed teme-
 ritas potius, & insania: tamque est in vitio qui non timenda
 formidat, quàm qui timenda omnino non pauescit. Sit timor
 in periculis: ita tamen vt si perferenda sint, ratio vincat supe-
 rætque terrorem. At graue est vulnera excipere, graue mortẽ
 obire, sint sanè ista (si ita vis) etiam grauissima. tamen inci-
 dunt tempora in quibus honesta mors turpi fuerit vitæ à sa-
 piente præferenda: & vulnera per gloriam excipere præ-
 stet, quàm per ignominiam corpus integrum seruare. Hinc
 fortitudo illa mirabilis existit, speciosissima profecto virtus,
 oratorum campus, quæ tanto fauore hominum excepta est,
 vt & defunctorum statuas vidcamus ferè habitu militari:
 quasi præclarum sit, hoc potissimum genere laudis, in vita cla-
 ruisse. Commune certè virtutis nomen, fortitudo sola, in suã
 propriam appellationem conuertit. nec sanè immeritò. Vir-
 tus enim à viro dicitur: vir autem, constans aliquid & pu-
 gnax designare videtur. Itaque illud in promptu est, si viri
 estis, id est si fortes. Et Cæsar milites increpans (inquit) se
far.
 non tantum virtutem in milite desiderare quantum mode-
 stiam: virtutem haud dubiè pro fortitudine ponens. Itaque
 vt in multis alijs, ita in hoc præclarior Græci quàm nos. for-
pæa.
 titudinem enim illi ἀνδραγαθία vocant: id importat (vt verbum
 de verbo exprimat) virilitatem. Nam temperantia com-
 munitatis quidem est: nec viri solum, verum etiam mulieris. for-
perantia.
 titudo autem propria viri est. Versatur autem temperantia
 circa libidines compefcendas: atque vt fortitudo à fuga nos
 reuocat, sic temperantia ab insequendo coërcet: vt quodam
 modo inter se contrariè, vna ad prælium cohortari, altera

receptui canere videatur. Est autem tēperantia circa eas voluptates quæ & nobis cōmunes sunt cum cæteris animātibus. ex quo non propriè illæ quidē hominis voluptates, sed magis seruales, bestialesq; habentur. Diximus de affectibus animi in metu & libidine. Quid? auaritiæ nōne arduū est frenum imponere? aduersus quam immoderationē virtus est, quam dicimus liberalitatem. ea est mediocritas quædā in acquirendis, Liberali erogandisq; pecunijs. remota quidē ab auaritiæ sordibus, remota etiam à prodigalitatē amentia. auari est enim nimia acquirendi cupiditas, & remissior quàm oportet expendēdi cura. Hæc autē duo cōtra in prodigo. nam & dissolutus in acquirendo, & profusus in largiēdo. Est horū mediū liberalis, vbi, & quando, & quantū capiendū, erogandūq; sit tenet: & rationem secutus, habitū iam ista agēdi ab vsu contraxit. Sed vt circa pecuniarū cupiditatem liberalitas: sic etiam circa cupiditatem honorū, alia quædā virtus existit ambitioni cōtraria, nomen verò nequaquam sortita. Sūt enim quidam plus q̄ oporteat honoribus inhiātes: quos dicimus ambitiosos. Hi ferme idē in honoribus faciūt, quod auari in pecunijs cōparandis. Alij & quos honestè consequi possunt honores, abiectione quædā animi prætermittūt. Inter hæc vitia, virtus est quædā intellecta quidem aperte: sed nō aperte nominata. At enim & liberalitati, & huic uirtuti quæ est circa honores, duæ præclarissimæ virtutes cōiūctæ sunt, magnificētia & magnanimitas. Modesti Magnificētia. quarū magnificētia sublimior quædā liberalitas est, circa sumptus ingētes & magnos. vt si quis ad vsū populi, theatrū ædificet, vt ludos exhibeat Megalēnses, aut gladiatorum munus, aut epulū publicum. Hæc enim & huiusmodi quæ priuatū supra modū excedūt, splendore quendā habent eximiū.

nec liberalia modò, sed etiam magnifica dicuntur. Magnificē-
 tia igitur ad liberalitatem talis est. eodémque modo magna-
 nimitas ad illam aliã virtutem, quæ circa honores versatur.
 Est enim ferè eadem: nisi quod magnitudine animi, propo-
 sítique sublimi excedit, vt si maximis dignus sit, maximos sibi
 honores arrogare non vereatur. Proxima est mansuetudo &
 ipsa quoq; aduersus cupiditatem constituta, non pecuniarum,
 neque honorum, sed vindictarum. Est enim ira, vlciscendi cu-
 piditas, cui resistit mäsuetudo, ne plus nimio efferatur. Huius
 excessus, iracundia: defectus verò, segnicies, vtraque in vitio:
 mediocritas verò laudabilis, quæ, & pro quibus, & aduer-
 sum quos, & quantũ oporteat irascitur. M. Hic ille subla-
 tis in me oculis, quasi admiraretur, mediocritatē (inquit) istã
 ceteræ quidem virtutes, quæ adhuc à te commemoratae sunt,
 rectè suscepisse videbantur: mansuetudo autem (admiror) si
 hanc suscipiat mediocritatem. Iam enim si hoc fatemur, illud
 quoque confitendum erit, iram quandam esse laudabilem, de
 quo (vt verum tibi fatear) valde equidem subsisto. quas verò
 causas ambigendi habeam, si non tibi mea hæc interpellatio
 molesta est, exprimere conabor. L. Tu verò (inquam) ar-
 bitratu tuo. nõ enim mei causa sermo hic institutus est: sed tui.
 M. Puto igitur (inquit) nullam iram esse laudabilem. quòd
 si non laudabilis, neque cum virtute: quoniã omnis virtus lau-
 dabilis est. Virtus enim excellentiam & præstantiam dicit:
 nihil verò est omnium, quod non absque ira melius faciant ho-
 mines quàm irati. Quid enim est ira, nisi ebullitio quædam &
 concitatio, maturo stabiliq; consilio, & tranquillitati ratio-
 nis aduersa? Itaque non alia tam crebro pœnitenda homini-
 bus incidunt, quàm illa quæ per iram geruntur. Nã recta qui-

dem illa ratio (quæ nulla carere virtus potest) sedatione animi, serenitateque requirit. ira verò perturbat, & concitat: ut non solum mentis iudicium, sed corporis etiam laudabilem statum peruertat illa quidem atque detorqueat. furentes oculi, & tremètia labra, verba interrupta atque infracta, iactatio brachiorum insana, progressio amens. Hæc autem (ut tua pace dixerim) furori propiora mihi videntur, quàm virtuti. atque per absurdum est rectam quidem rationem in virtutibus dominari dicere: iram verò, quæ nos à recta ratione dimouet, in virtutibus aliquando esse fateri, & hunc seruaturum esse modum in rebus agendis credere, qui in seipso modum non seruat. Videntur porro & sapientes uiri, hoc ipsum (quod modo dixi) apertissime testificari. Sunt enim ut uidemus, libri complures aduersus iram ab illis conscripti: qui uerò contra irascentiam scripserit, nemo adhuc (quod equidem sciam) repperitus est. quasi non irasci laudabile sit: irasci uerò uitiosum. Quod si iram nunquam laudabilem esse constat, sequitur ut mediocritas nulla eius sit, sed omnem penitus huiusmodi perturbationem animi esse improbandam. L. Tum ego, non ignoro (inquam) ista dici solere ab ijs, qui contra Peripateticos disputant: sed tamen refert quid quisque sentiat. Queris num excandescentiam, uehementemque iracundiam probem? Negabo equidem, atque detestabor. Quid enim amentius? quid furori similis? Queris rursus, num in irascentiam, & segnitatem omni tempore laudem? Hanc rursus uitio ducam, atque reprehendam? Etenim peto abs te, si seruus parentem uerberet tuum, aut si filia uirgini uim afferat, num tu hæc aspiciens, animo tranquillo esse debeas? uel potius motu quodam animi ad infringendam illius contumeliam insurgere? Respondebit

profectò pietas ipsa, & ratio, reprehendendum esse te, nisi
 pro tanta parentis, filiaeque iniuria indignationem suscipias,
 & ad vindictam cum acritate quadam vehementiori percite-
 ris. Quid enim quaeso agat filius: contumeliam parentis indi-
 gnam cernens? Stabit credo eodem animo, atque vultu quo
 fuerat prius: nec eum tam charissimi, atque coniunctissimi in-
 iuria commouebit? Et quis non hunc detestetur, atque repre-
 hendat? Ita fit, vt ira quaedam nonnunquam laudabilis sit, &
 non irasci in vitio reponatur. Videtur porrò neque sensum,
 neque mentem habere, qui vsque adeo hebes, & dissolutus est,
 vt neque doleat, neque grauitur ferat: cum patriæ, cū paren-
 tibus, cum filiis, cum cæteris (quos charissimos habere debe-
 mus) contumeliæ inferuntur. Neque sanè verum est quod di-
 xisti, nihil esse omnium quod non absque ira melius fiat. Iu-
 uant enim interdum, & certè decent stimuli quidam, & mo-
 tus animi vehementiores, pro indignitate flagitij nõ immeri-
 tò suscepti: qui nos ad pietatem fortitudineque impellunt. Nã
 quod ais, neminem adhuc contra inirascenciam scriptitasse:
 ignorare mihi Aristotelem videris, qui vbique scriptorum
 suorum segnicem, & inirascenciam istam magnopere dānat.
 Itaque vt tu iracundum illum furenti: sic ego dissolutum hunc
 & segnem mente capto assimilabo: qui nec sentire, nec cura-
 re, neque affici vlla re videatur. Sed hæc satis. Ad reliqua in-
 stituti operis reuertamur. Diximus de mansuetudine, atque il-
 lius extremis. In vita autem & conuersatione multi peccant.
 nam reperiuntur quidam contentiosi, displicentes, duri, diffi-
 ciles, inhumani. Contraque alij adulatorum, placendi studio om-
 nia assentantes. Hæc vtraque vitanda sunt. Media verò in-
 ter hæc virtus est, amicitie similis, procul ab assentatione,

cilia.

bilitas.
itas.

procul à contentiosa asperitate. Eodémque modo & ostentationem, & ironiam in vita & conuersatione abesse conuenit: quarū altera in plus fictio est, altera in minus. Grauitas verò, harum mediocritas est: sed ab ostentatione remotior. Cum autem sit in vita cessatio quaedam atque remissio (neque enim continuo laborare homo potest) solationum quaedam moderatio est. nam si omnem refugias iucunditatem, rusticus sis: si autem omnem arripias iocandi occasionem, ita vt nec honestati nec dignitati parcas, modo risum mouere possis. scurra. inter hæc moderatio est quaedam virtus, quæ ab his extremis reducta, Comitas appellatur. Sic tergemina sunt vitia in cōuersatione hominum deuitāda: ne aduersatores odiosi, neue rursus placentes adultores simus: ne fingamus ostentando, neue rursus minuendo ironia vtamur, ne procul ab omni iucunditate, neue rursus ridiculi homines scurra quæ habeamur. Iustitia verò duplex est. Vna perfecta, quæ omnem complectitur virtutem: altera singularis, in æquitate reposita. Aequitas autem est, vt ne plus commodi, neue minus incommodi suscipiatur. M. Hic ille, Patere quaeso (inquit) parūper & in hoc loco interpellari te. Cupio enim, nisi molestum sit, quāobrem perfectam uirtutem iustitiam dixeris intelligere: an forsā alia de quibus supra dixisti virtutibus, perfecta non sint, ne fortitudo quidem illa quam tu multis verbis ornasti? quod si illæ perfectæ, cur huic perfectionem potius attribuis quàm illis, non planè intelligo. L. Iure tu quidem ambigis, inquam: sed non omnia possunt in hoc tanto & tam præcipiti discursu explicari. Iamque à nobis dictum est, non esse propositi nostri, vt ad viuum singula refecemus: sed tanquam introductores aliqui, euidentiam quandam & prægustationem rerum in præsentia tradere. Quod tamen nunc

Grauitas

Comitas

Iustitia

Aequitas

PARVA

de perfecta requiris virtute, scire debes: bifariam dici perfectam. vno quidem modo, vt inchoata opponitur, neque enim est dubium nos ad iustitiam & temperantiam, & fortitudinem, & liberalitatem quodam modo natura aptos produci: vsus tamen & assuetudo, exercitatioque ipsa (vt de a quo supra diximus) ita nos afficit, vt tunc iam perfectum ab vsu sit, quod à natura fuerat inchoatum. Isto quidem modo omnis moralis virtus perfecta est: nec minus alia quam ipsa iustitia. Alio modo perfecta virtus dicitur, qua omnem omnino virtutem continet, & complectitur: talis vero est iustitia illa de qua primo diximus. est enim secundum leges observatio quaedam. Leges autem cunctarum virtutum opera iubent: & vitiorum omnium facinora vetant. Nam & quae sunt continentiae: vt non committes adulterium, non flagitium facies. Et quae sunt fortitudinis: vt non fugies in acie, non deseres locum, non arma abicies. Et quae sunt mansuetudinis: vt non iurgia dixeris, non pulsabis, non contumelia afficies: & sic de alijs virtutibus & vitijs, illas iubendo, ista vetando. Quae verò à legibus proficiuntur, iusta sunt. Itaque illa pars iustitiae quae est legis custos, & observatrix vniuersalis quaedam est, & vsus omnium virtutum in se continet. atque ideo perfecta dicitur, quod nullus virtutis vsus illi desit: quasi completa quaedam & absoluta virtus. Alia verò iustitiae pars (quam in aequitate repositam diximus) particularis est: vt non plus commodi, nec minus incommodi suscipiamus. Est igitur iustitia duplex: vna vniuersalis virtus. altera singularis. Prima est, enim illa splendida de qua Euripides inquit, Neque lucifer, neque hesperus ita mirabilis. Altera verò non plus ferme ludis in se habet, quam vna ceterarum virtutum. M. Mihi quidem

uripides.

(inquit) hæc periucunda fuere: & mandavi memoriæ quæ dixisti. Sed nunc quod reliquum est, intellectuas virtutes expecto. L. Vnum adhuc restat (inquam) quod ignorare te nolo: postea ad intellectuas transibimus. M. Quid est inquit? L. De continentia (inquam) & incontinentia dicere, quæ res & difficultatem habet, & plerosque fallit, & utilitatem non contemnenda eius cognitio affert. ContiContinentia igitur non est illa quidem virtus, sed finitimum quoddam & proximum. Ostensum est enim prius, omnem virtutem esse habitum: Continentia verò habitus non est. Itaque nec virtus dici potest. Versantur autem continentia, & incontinentia in ijs, in quibus temperantia & intemperantia. Abstinet quis à iucunditate sensuum indebita: si diu hoc egerit, in habitum transit, & tunc demum virtus elucet temperantia. ante verò quàm constitutus sit habitus: in ipsis operibus continentia est. Itaque & dolens abstinet continens, nec satis firmus est aduersus cupiditatem. Eodem modo incontinens nondum habitum vitij contraxit. Itaque rationem discernit, & principium tenet: superatur tamen ab affectu, & inuitus quodam modo captiuus abducitur. De quo rectè poëta inquit, QuidiuVideo meliora proboque: deteriora sequor. At intemperans, in habitu vitij constitutus: nec rationem iam, nec principium tenet. atque ita corruptus est, vt peruersa natura rerum, malum quidem bonum arbitretur, bonum autem malum. Itaque eligens facit intemperans: incontinens verò, nequaquam eligens, quia rationem intelligit: sed tamen trahitur violentia cupiditatis, quæ in eo quidem est omni ratione potentior. Habes nunc de continentia, & incontinentia: quæ breuiter dici potuerunt. hæc eadem vtilia sunt & in cæteris virtutibus, vt habitum ele-

PARVA

Etionemque in illis recognoscas. Vitiosus enim omnis qui ha-
 bitum iam vitij confecit, lumen cognitionis, principiumq, ami-
 sit, quam ob rem malo gaudet, quia id bonum putat. qui verò
 nondum habitum effecit, se quidem male agere intelligit, pu-
 gnâtque simul affectus, & ratio: atque modò ille, modò hæc
 peruincit. Placet igitur inter virtutem & vitium, medias esse
 affectiones quasdam, nondum satis stabilitas: vt modò ad
 hanc, modo ad illam inflectamur. Nunc verò quoniam de
 moralibus dictum est, intellectuas virtutes breuiter videa-
 mus. Earum nempe discussio prolixitatem exigit: breuitas
 autem suscepti operis, compendium flagitat. Tanquam igitur
 digito illas monstrantes, notare tantum singulas illarum
 contenti erimus. Quoties ergo de virtute propria loqui-
 mur, siue illa moralis, siue intellectiua sit: de animi virtute,
 non autem corporis nos loqui intelligendum est. Ipsius verò a-
 nimi partes sunt due. Vna rationalis: altera non habens ra-
 tionem. Ea rursus quæ rationem non habet, partim est vege-
 tatiua, expers omnino rationis, quam plantis etiam inesse
 constat. partim est appetitiua, cupiditatis, & metus, & af-
 fectionum omnium capax: quæ etsi rationem non habet, au-
 diens tamen est parensque rationi. Hæc est enim illa pars a-
 nimi nostri, quam increpamus errantem, quam coercemus
 elatam, quam excitamus iacentem, quam consolamur affli-
 ctam. Hanc nos dirigimus, & rationi obtemperare compel-
 limus. In hac demum parte virtus moralis sit: quæ est habitus
 animi per assuetudinem acquisitus, vt mediocritatem quan-
 dam in affectibus seruet. Irrationalis igitur pars animi du-
 plex est, vt ostendimus. Rationalis verò etiam duplex. nam
 eius vna pars est consultatiua, altera scientifica. Cōsultamus

intel-
a.

ani-

enim de ijs quæ aliter esse possunt . Scimus verò ea quæ aliter esse non possunt . In hac itaque rationali parte animi, virtutes intellectuæ sunt. atque ut ista diuiditur, sic illæ distinguuntur . Quinque verò esse numero intellectuæ virtutes supra diximus: inter quas prudentia nobis prima occurrit, cum superioribus, quas retulimus, virtutibus ferè coniuncta. Etenim in rebus agendis recta illa ratio, quæ moralibus moderatur virtutibus, quæque extrema refugiens, in mediocritate quadam laudabili consistere facit, nihil aliud quàm prudentia est. Ex quo fit, vt nulla moralium virtutum absque prudentia esse possit. Versatur autem prudentia in ijs rebus quæ non semper eodem modo fiunt, sed alias aliter: in quibus etiam consilium, & electio locum habent. Nam de certis & impossibilibus aliter se habere, frustra quis aut consultat aut eligit. Itaque & consilium & electio à prudentia est, resque agenda omnes consilio, electioneque pendent . Videtur autem electio non alijs ferme vllis quàm homini conuenire . Nam neque bestijs quæ sunt infra hominem, quoniam ratione careant: neque rursus in deo, quoniam ille puro intuitu singula discernens, nulla de re ambigere potest: at consilium & electio de re dubia est. Dicitur autem electio, quod è pluribus in consultatione propositis, vnum legatur, id est suscipiatur. fit autem hoc cum pluribus propositis commodis, id quod videtur maximum potissimumque, assumimus: aut cum pluribus propositis incommodis, minimè malum recipimus . Hæc autem & tempus, & accidentia variant, & rerum experientia consilium dirigit. Prudentia igitur de ijs est quæ aliter esse possunt . Scientia verò contra de ijs est rebus quæ semper eodem modo sunt, & aliter esse non possunt. principia tamen non tractat, sed

PARVA

ectus.
ntia. ab illis iam cognitis discurrit. Intelligentia verò, principiorū est, & circa illa versatur. At sapientia, vtraq; complectitur. Nam & de principijs & de ijs quæ à principijs manant, iudicat, & discernit. Itaque rectè definita est, rerum diuinarum humanarūque cognitio. M. O præclaram supellectilē (inquit) & quasi diuinam quandam intelligentiæ syluā. quæ enim vel audita serenant animum: quid gustat, & receptæque efficiant? L. Restat ars (inquam) quæ in eodem genere quo prudentia, uersatur: sed in eo differt, quòd ars in faciendo est, prudentia in agendo. Enimuerò cum plures sint virtutes (vt diximus) constat alias ad otiosam vitam in contemplatione repositā, alias ad negotiosam & ciuilem esse aptiores. Sapientia enim, scientia, & intelligentia contemplatiuū alūt. Prudentia verò, in omni actione dominatur. Vtraq; sanè vita laudes commendationesque proprias habet. Contemplatiua quidam diuinior planè, atque rarior. Actiua verò in communi utilitate præstantior. Itaque uel in priuata, uel publica re, quacunque excellēter, & cum laude, quacunque pro utilitate aut nostra, aut patriæ aut hominum nobis charissimorū agimus: ea quidem omnia à prudentia, & ab ijs virtutibus quæ sunt cum prudentia copulatæ, descendunt. Sed illud ante omnia intelligendum est, nisi bonus sit vir, prudentem esse neminem posse. Est enim prudentia uera aestimatio circa utilitatem. uera autem aestimatio, incorrupta est. Tales verò ipsæ res, quales reuera sunt, nisi bono uiro uideri possunt. Improbiorum siquidem hominum iudicia perinde sunt ut agrotatiū gustus, qui nulla fermè in re uerum saporem agnoscūt. Itaq; nihil est omnium, cui magis officiant uitia morum, quàm prudentiæ. Scelestus enim & flagitiosus homo, ueras mathemati-

æ demonstrationes, & physica notitiam retinebit: ad prudentiæ verò opera omnino cecatur, & lumen veritatis in hac vna amittit. Atqui constat & hunc nihil velle nisi bonum. at in illo ipso caligantur oculi: quòd bona putat quæ bona non sunt. Videmus alios tyrānidi inbiantes, alij rapinas, fraudesque meditantur. Mæchi verò isti, & pæderaste quicquid pro libidine explenda non prætermittam? His si fortè deus aliquis cupiditatem illam morbūmque animi euellat, ac viri boni mentem, iudiciūmque infundat, tanquam resipiscentes, lumenque recipientes, quantis in tenebris versati sint recognoscant, suūmque ipsi maximè detestabuntur errorem. Proposita etenim nobis in omni vita felicitas est, eiūsque cupido nobis ingenta. Ad hanc non per vitia & libidines (quæ nec laudem in se habent ullam, nec quietare animum possunt) sed per uirtutes modestiāque ascenditur. Bono igitur viro rectum expeditūmque iter est ad felicitatem: Solus enim hic non fallitur, neque aberrat. Itaque is solus bene uiuit & bene agit, malus autem contrā. Si ergo beati esse uolumus, operam demus ut boni simus, uirtutésque exerceamus.

*qui dicitur
cinadu
mator
rorum.*

F I N I S.

P A R I S I I S
 E X C V D E B A T I O A N N E S L O -
 D O I C V S T I L E T A N V S

1 5 4 4.

ca demeritum...
 debent...
 non...
 in...
 per...
 quod...
 in...
 non...
 sed...
 et...
 quod...
 in...
 non...
 sed...
 et...
 quod...
 in...
 non...
 sed...
 et...

F. I. M. I. S.

P. A. R. I. S. I. S.
 ENOVBAT IOANNES LO.
 DOICVS TILLETIVS